

viperis. Linimenta pro abstersione defœdationis A cutis succus hordei & faba cocta, cum succo mali citri, vel aranci, limonum, & medulla panis. Post istam linitionem confert cerotum rosatum propter rubedinem: Decoctum verbena, betæ, semperuui maioris & minoris. Procuretur sudor: nam per ipsum possunt euacuari istæ malignæ materiæ.

FRISIMELICA. in eandem.

Agitur decimus annus ex quo laborat morbo B ista magnifica Domina, quas affectiones subsecutæ sunt suppressiones euacuationum omnino consuetarum, scilicet & mensium & ipsius vrinæ: quas suppressiones mensium prouocare volens Chirurgus exhibuit multum calida, ex quibus plus iusto incaluit, quam inflammationem subsequuta sunt plurima symptomata. Postea etiam male curata est ab alio medico Hebreo. Temperatura naturalis istius mulieris est calida. Dispositiones preter naturā sunt tres, morbus, causæ & symptomata. Incipiam ergo à symptomatibus, & primo à qualitate mutata, & primò in facie. Color est permutatus in liuidum & nigrantem, oculi sunt rubictundi & obscuri. Quantitas etiam vniuersa circa faciem excreuit, & labia intumuerunt & palpebræ & nares, & tempora. figura quoque est permutata, operationes quoque sunt corruptæ & diminutæ: nihil enim excernit per narres, & vox est immutata ad raucedinem, & visio est diminuta: quare timeo ne capiatur oculis, & D habeat grauitatem & difficultatem respirationis, aliquando intumescunt crura. Vrina liuida, mens suppressi, licet videatur tempus conueniens ut sit suppressio mensium, est enim annorum 56. Excrementa quoque alii sunt suppressa. Item appetitus est destruetus, & virtus sensitiva, omnia perturbata & terribilia. Causæ symptomatum iam inquirendæ sunt. Ego credo morbum esse vniuersalem, quoniam sunt quidam morbi particulares & quidam vniuersales. Vniuersales sunt, qui obseruentur vniuersum corpus, qui quandoque proveniunt ab uno membro, vt in febre à corde: tamen afficitur totum corpus, sic quoq; hic ipsum epar. Nunc autem est affectio calida & sicca, temperatura mala totius corporis calida & sicca. meo iudicio appellanda est iuste Elephantiasis, ab ipsa similitudine. Ortū habet ab eparate, vt dictum est. Affectum est totum corpus, tamen vt plurimum affecta est ipsa facies: sed & membra omnia affecta sunt per consensum ab eparate. Epar autem habet istam malam temperaturā fortasse ab ipsa majorice, quæ cùm non fuit purgata, erat affecta, & per consensum affecit quoque epar. Sunt & aliæ causæ affectionis huius in hac muliere, scilicet mala curatio Medicorum, qui volentes prouocare menses, secarunt saphenam pleno corpore, cùm prius secunda erat brachij, ex quo subsecutæ sunt maiores obstructiones. Aliud erratum fuit maximum in causa, quod ad inflammationem cruris factam ad sectionem saphenæ drepentè proiecerant aquam frigidam, & tunc ille calor retrocedens deuenit ad epar, & adusit omnes humores, ex qua inflammatione non poterat sanari à medi-

cis rationalibus: & tunc accersiuit quandam empiricum Hebreum, qui exhibuit syrups quosdam calidos preparatos cum calcantho: quare illa deuenit non solum ad magnam inflammacionem epatis, sed etiam toti corporis, & omnium humorum atque capitum. hæ sunt causæ symptomatum antea dictorum.

Essentia morbi. Quis autem humor sit hic pecans in ista magnifica Domina? Certè nulli duibium est humorem hunc esse melancholicum, qui cùm generatur ex sanguine & bile, vidēdum est an hic humor melancholicus sit ex adustione flauæ bilis, vel melancholiæ naturalis, aut ipsius sanguinis. Nam si esset ex adustione flauæ bilis, sequerentur erosiones & alia symptomata, quæ hic nō apparent, sic etiam ex adustione humoris melacholici naturalis. Quare autem color sit permanentus, manifestum est, scilicet quoniam ipsum humorem liuidum sequitur talis color. hunc etiam humorem sequuntur ista tubercula & putulæ in facie, quoniam etiā facies est membrum imbecille. Nares sunt obstructæ propter crassitudinem humorum. Vox etiā est impedita, & est difficultas anhelitus, propter siccitatem, grauitatem & grossitudinem humorum.

Quantum ad prognosticū, dico quod isti morbi quando sunt inueterati, sunt incurabiles, secundum sententiam Pauli & Gal. at cùm simus in principio, Gal. laudat se eurasse elephantiam, vt in 6. Aphoris. Quare & nos, licet sit hæc affectio difficilis curationis, desperandum non putamus.

Curatio. Quare priuū superfluitates iam genitæ sunt expurgandæ, & postea temperandū est & epar & vniuersum corpus. Proinde leniatur alius cassia. Postmodum esset secunda vena ex basilica dextri brachij: sed quia antea secta est, iam eius sectione non indigemus, tamen potest reiterari. Et cùm hi humores fuerint præparati syrups, vt de fumaria & aliis, tunc erunt euacuandi. Et quia lenitius nihil efficiemus propter eorum resistentiam, vehementioribus ita procederem, vt helleboro & aliis, in quibus permiscetur helleborus vt confectio hamech cum syrupo rosato, & euacuarem bis, ter, quater, iuxta sententiam Aucennæ. Ego igitur exhiberem medicinam fortem, debilem postea, iam euacuato corpore, ad alterandum & corroborandum corpus. Item laudarem trochiscos de viperæ, quorum caliditatem si timerem, permiscerem saccarum rotatum, vel theriacam bonam si haberemus. Refrigerandum est etiam epar. Diarhodon Tria sandala. Item suncus, quo vtatur frequentissime. Item echoraceis omnibus, & lactucis coctis & cibariis. In autumno purganda erit iterum, & secunda erit vena, & prouocandæ erunt omnes suæ consuetæ euacuationes. Cibaria, borago, spelta, ptisana, pisces petrosi & saxatiles: vinum caueat nisi ratione epatis, & tunc sit pauciferum. Aer temperatus, sit læto animo, & non tristetur. Ad accidentia considerando pro oculis opponenda illa erunt frigida metalla.

G Pro deformitate faciei ergo non multum curarem, nam & ipsa non multum conqueritur: sed lapathium, fumaria, ad abstersionē fœditatū corporis ac cutis optima erunt. Tempore Caniculari

Tro: do Vi:
pera landat